

SCRIPTA

Numéro Scripta : 6579

Autre(s) référence(s) : Bates 267 / Round 1114

Auteur(s) : Guillaume Ier le Conquérant, Angleterre (roi)

Bénéficiaire(s) : Saumur, Saint-Florent (abbaye)

Genre d'acte : notice

Authenticité : non suspect

Datation : 1080, 7 janvier

Lieu d'émission : Caen

Action juridique : règlement conflit

Langue du texte : latin

Analyse

Notice relatant le différend survenu entre l'abbaye Saint-Florent de Saumur et l'abbaye de Lonlay, au sujet de l'église Saint-Gervase et des autres églises données à Saint-Florent par Guillaume de Briouze, et réglé à la cour de Guillaume [Ier], roi d'Angleterre.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Caix Alfred de, *Notice sur le prieuré de Briouze*, Caen, A. Hardel, 1856, p. 41, n° 5.
- b. Marchegay Paul, *Chartes normandes de l'abbaye de Saint-Florent près Saumur (710-1200)*, MSAN n°30, 1880, p. 681 (pour Version I) ; p. 682 (pour Version II).
- c. Bates David, *Regesta Regum Anglo-Normannorum*, the Acta of William I (1066-1087), Oxford, Clarendon Press, 1998, n° 267, p. 805-809.

Indications

Round John-Horace, *Calendar of Documents Preserved in France, Illustrative of the History of Great Britain and Ireland*, 918-1206, Londres, Her Majesty's Stationary Office, 1899, n° 1114 (pour Version I) ; n° 1115 (pour Version II). Davis Henry William Carles, *Regesta Regum Anglo-Normannorum, 1066-1154*, vol.1, Regesta Willelmi Conquestoris et Willelmi Rufi, 1066-1100, Oxford, Clarendon Press, 1913, n° 120 (pour Version I) ; n° 342 (pour Version II).

Dissertation critique

Version I : 1080, 7 janvier ; Version II : Règne de Robert Courteheuse (1087-1106). Datation proposée par D. Bates (voir BATES, *Regesta Regum Anglo-Normannorum*, p. 805-806).

Texte établi d'après c

(Version I)

Notum sit presentibus et futuris quod cum Guillelmus de Braiosa fecisset donationem æcclesiæ sancti Gervasii et aliarum æcclesiarum, decimarum quoque seu aliarum rerum que in carta ipsa denominantur sancto Florentio et eius monachis, audientes hoc, Hugo abbas et monachi Longiledi calumpniati sunt ipsas res, et ad Guillelmum regem

Anglorum clamorem fecerunt, dicentes Guillelmum de Braiosa res easdem sibi antea dedisse, nec iam aliis eas dare posse. Qua de causa rex donationem illam monachis sancti Florentii primitus noluit concedere et cartam illorum auctorizare, quousque in curia sua decerneretur utrum abbas et monachi Longiledi iustam querelam haberent. Cum ergo quodam tempore rex Cadomum venisset, ibique eum morari predictus abbas et monachi Guillelmus quoque de Braiosa audissent, venerunt eo quisque cum sue partis hominibus de causa supradicta disceptaturi. Iussit itaque rex episcopis et abbatibus qui aderant ut, utrorumque rationibus auditis, quod iustum esset decernerent. Qui secedentes in cameram, rationibus auditis et diligenter perspectis, pronuntiaverunt Guillelmum de Braiosa donationem quam sancto Florentio et eius monachis fecerat iuste et legaliter fecisse; abbatem vero et monachos Longiledi iniustam eis calumpniam intulisse. Quo rex audito, cartam postulavit seque eam signo suo auctorizaturum dixit. Quam quia Albaldus monachus sancti Florentii, qui aderat, in presenti non habebat, Braiosam celeriter repedavit, cartam tulit regemque, iam a Cadomo redeuntem, in Baucharii Villa invenit. Cui cum cartam obtulisset, signavit eam rex et regina eorumque filii.

Qui autem hoc iudicium fecerunt sunt isti : Guillelm(us) archiepiscopus Rotomagensis, Gislebertus episcopus Ebroensis, Anselmus abbas Becci, Gislebertus abbas Cadomi, Durandus abbas Troarni, Rotbertus abbas Sagii. Et hii erant cum Guillelmo : Herbertus filius Gundoini, Odo Rufus, Robertus Silvaticus, Rotbertus Tailla boscum, Rotbertus de Cancereis, Guillelmus filius Godelini, Gosbertus de Braiosa.

Actum apud Cadomi, in crastino Epyphania.

(Version II)

Nulla probabiliori auctoritate preterita declarantur quam ut certa litterarum titulatione designentur. Tali igitur nos suffulti veritatis assertione, preterita futurorum commendantes memorie, garrulitati falsidicorum disponimus obviare. Sciant ergo tam presentes quam futuri Guill(ell)um de Braiosa sancto Florentio et monachis eius æcclesiam beatissimorum Gervasii et Prothasii dedisse, terramque ipsi ecclesiæ pertinentem et alia plura. Hoc itaque dono patrato, supradicti monachi ceperunt, pro posse, locum edificare ibique manere. Hoc autem de Lonleio monachi considerantes, magna succensi invidia, moliti sunt iam dictam calumpniari æcclesiam, magni regis Anglorum aures clamore pulsando. Hunc ergo clamorem fecit Hugo abba Lonliacensis. Quem clamorem rex audiens, credens quia veram intulissent querimoniam, mandavit Guillelmo de Braiosa ut monachis Lonlei rectum teneret in curia sua. Quo audito, Guillelmus ivit ad curiam, videlicet apud Cadumium, rectum tenere monachis in presentia regis. Monstravit itaque, tota regis audiente curia que tunc ibidem erat, non illis quod calumpniabantur donasse sed commendasse, tali etiam conditione ut, paulatim loco crescente, ibidem per ipsorum consilium capituloque favente, fieret abbatia. Demonstravit etiam ob hoc illos iam memoratam sibi æcclesiam dereliquisse, quia non illis donaverat eam sed commendaverat, et quia nolebant ibidem abbatiam constituere si, rebus crescentibus, quandoque fieri posset, sed pro cella habere. Quod eis non concessit dominus Guillelmus videlicet pro cella tenere, et ob hoc totum sibi dimiserant quod tunc calumpniabantur. Miraba[tur] etiam de hoc quod, matre sua tenente supradictam æcclesiam, alias æcclesias ipsi pertinentes, cui dederat eas postquam monachi dimiserant, nec clericis tenentibus multo tempore, quibus post matrem commendaverunt, eas sed quia sordide vivebant abstulerat, nullatenus calumpniati fuerant. Postquam vero monachis sancti Florentii dederat, favente etiam abbate Hugone, versutias et calumpnias commovebant.

Hoc totum monstravit et recitavit dominus Guillelmus de Braiosa apud Cadumum, in presentia nobilissimi regis Guillelmi, cunctis audientibus qui aderant quando Hugo abbas Lonliacensis calumpniatus est elemosinam suam, quam Deo sanctoque Florentio et monachis eius donaverat. Audita ergo Guillelmi ratione, iudicavit rex et tota curia que ibidem erat, dominum Hugonem abbatem iniustam fecisse calumpniam super elemosinam Guillelmi quia sic dimiserat eam ut in illo retulerat placito. Hoc siquidem facto iudicio, confusus abbas et verecondus et eius monachi nil habuerunt. Hoc itaque viderunt et audierunt : Gervasius de Domfront, Herbertus filius Haimerici, Unfredus cementarius et alii plures. Isti fuerunt ex parte Hugonis abbatis. Ex parte autem domni Guillelmi fuerunt isti : Herbertus filius Gundoeni, Odo Rufus, Robertus de Pointel, Robertus de Canceleiso, Goffredus de Mulle Cavata. Concessit igitur et confirmavit Willelmus rex Anglorum et Mahild(is) regina eorumque filii sancto Florentio et monachis eius elemosinam quam eis fecerat Guillelmus de Braiosa. Hec itaque annuitio sive confirmatio in sancti Georgii æcclesia, videlicet de Baucheri Villa, facta fuit et auctorizata. Hanc siquidem annuitionem et confirmationem viderunt et audierunt isti : Odo consul, Hugo consul de Cestra, Alanus Rufus, Galterius de Meduana, Henricus de Bello Monte, Odo Gamelini filius, Guillelmus Peurel, Willelmus de Falesia, Rogerius Bigotus, Unfredus de Bonhon, Richardus eiusdem filius, Heunus vicecomes, Radulfus Terrerii filius, Hansselinus, Guill(ell)mus monachus Rodomensisque archiepiscopus, Raginaldus regis capellanus, Bernardus Uspachi filius.

Post multum vero temporis edificata æcclesia, cum eandem vellet dedicare Sagiensis episcopus nomine Serlo, monitu Guillermi, presente abbate sancti Florentii, Lonliacensis abba Rannulfus iterum calumpniatus est sepius dictam æcclesiam. Episcopus vero hoc audiens, dedit, iussu Guillelmi, abbateque sancti Florentii favente, placitum Rannulfo abbati Lonliacensi et monachis eius in curia Roberti consulis. Consecravit igitur ecclesiam ut cui remaneret magis veneranda fuisset. Perrexit ergo Guillelmus Braiosensis, qui elemosinam suam tueri volebat a falsis calumpniatoribus, apud Bonam Villam quo placitum debebat esse ad terminum constitutum cum Goscelmo sancti Florentii monacho, qui cum magno labore predictam constituerat æcclesiam. Ivit e contra Rannulfus abbas ad Bonam Villam, ibi enim concilium fieri debebat, prosequi calumniam. Iussit itaque Rotbertus consul episcopis suis nobilibusque viris qui aderant ut rectum tenerent inter abbatem Lonliacensem Guillerimumque Braiosense. In crastina ergo, videlicet quadam vta feria, adsederunt ad placitum qui rectum tenere debebant, iussu consulis Roberti magni regis Guillermi filii, presente Guillelmo de Braiosa et expectante. Interim autem Rannulfus abba monachique sui, Guillelmus videlicet et Walterius, qui quadam nasi particula minoratus erat, fuge locum machinabantur. Dereliquerunt ergo placitum, nescientes quid dicerent, confusi et verecundi, ignorante consule, ignorante abbate Cadumum quem duxerant ad placitum, nescientibus etiam nobilibus viris qui eos prestolabantur ad placitum, sicut consul constituerat eis. Comperta igitur tanta derisione, iratus est consul valenter mandavitque, sigillo auctorizante, Sagiensi episcopo ut sancti Florentii monachus teneret et custodiret, omnesque res illorum in quantum posset ab omni hoste defenderet. Mandavit comes etiam per ipsum eundem episcopum, nomine Serlonem, Lonliacensi abbati Rannulfo quatinus sancti Florentii monachis ius teneret, quia provocaverat eos ad placitum in curia sua et sic turpiter dimiserat. Huius placiti defectionis seu abbati mandationis tot testes habentur quotquot fuerunt, de quibus tamen paucos enumeravimus.

Hoc igitur testificantur isti : Odo episcopus Baiocorum, Gislebertus Maminot episcopus, Rogerius cardinalis Romanus, Gislebertus abbas Cadumi, Arnulfus abbas Troarcensis, comes de Pontehio, Robertus de Belesma gener eius, Guill(er)mus comes Ebroicarum, Rodolphus de Guader, Engelramus filius Hilb(er)ti, Heunus Audup ; ex parte abbatis Lonliacensis, Radulfus de Curto Landono ; de hominibus Guillelmi Braiosensis : Odo Rufus, Robertus de Punctello, Radulfus filius Odonis, Robertus de Canceliso, Goffredus de Molle Cavata, Guillermus de Lachernilla, Rotgerius Boterel.